



320
20

Z. n. 18.



18. iij.



RECTOR

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

IN EXEQUIIS

DOMINO

JOH. FRIDERICO

FALCKNERO

Hæreditario in Braufwig & Göftewiz,

J.C. Comiti Palatino Cæsareo, Potentiss. Regi Poloniae & Sereniss. Electori Saxoniae a Consiliis, Scabina-

cus Assessori, Consuli Civitatem Regenti, Templi ac Ludi Nico-

laitani Praestiti, Viro Magnifica Prudentia & Au-

toritate Inclutissimo,

Hora I. hodie XXVI. Januarii. clb 1703.

cundis,



Um Respublica Romana in ætate sua adulta sive juvenili in maximum periculum, extremumque discrimen adducta esset, Senatusconsulto Respublica Consulibus committebatur, eorumque cura, fidei, & diligentia mandabatur hac formula: Viderent aut darent operam, aut curarent Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet. Quam Senatusconsulti formam ultima necessitatis semper habitam fuisse in historiarum monumentis legitur. Livius libro III. cap. IV. infausta cum Aquis prælia narrans: Tandemque, ait, terrorem incussere Patribus, ut (quæ forma Senatusconsulti, ultima semper necessitatis habita est) Postumio alteri Consulum negotium daretur, videret, ne quid detrimenti Respubl. caperet. Sallustius in Bello Catilinario cap. XXIX. Quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit, darent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet. Ha potestas per Senatum, more Romano, Magistratui maxima permittitur; exercitum parere, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives: domi, militiaque imperium atque iudicium summum habere: aliter, sine populi iussu nulli earum rerum jus est. Idem Cicero indicat Oratione pro Milone §. 20, scribens: Hoc uno versiculo; (nempe ut videret Pompejus, ne quid detrimenti Respubl. caperet) sacis armati semper Consules fuerunt etiam nullis armis datis. Caesar Commentariorum de Bello Civili libro I. hanc procul ab initio: decurritur ad illud extremum atque ultimum S. C. quo nisi penè in ipso urbis incendio atque desperatione omnium salutis, latorem audacia nunquam ante discessum est; Dent operam Consules, Prætores, Tribuni plebis, quique Proconsules sunt ad Urbem, ne quid detrimenti Respublica capiat. Plura ex Romanorum Rerum Scriptoribus loca collegit Barnabas Brissonius, Regii Consistorii Consiliarius, & Senatus Parisiensis Præses de Formulæ & Solemnibus populi Romani verbis libro II, pag. 211, seqq. Atque hac quidem forma Senatusconsulti Respubl. Romana Consuli commendata & permixta est, cum in summo discrimine versaretur, non minus tamen & omni alio tempore ejus erat dare operam, ne Respubl. damnum pateretur. Nam (cum Cicero loquimur Orat. pro L. Murena §. 4.) Boni Consul est, non solum videre quid agatur, verum etiam providere, quid futurum sit. Quæ cura non solum fuit Consulium Romanorum, penes quos summa erat potestas, sed etiam aliorum omnium, pro Civitatum ratione, quibus præfunt, esse debet. Providendum igitur ipsis, ut cultus DEI, juxta ejus verbum institutus ordine & decenter, secundum constitutiones Ecclesiasticas ab omnibus peragatur; ut Ministri Ecclesiæ & Scholarum ad functiones suas obeundas idonei constituantur atque salariis sufficientibus sustententur: ut jus fasque non violeatur unquam, justitiæque ratio ad normam Legum in quolibet negotio custodiatur: ut Principis sui imperio civitas semper sit obediens: ne ingravescat annonæ, ex qua inopia & fames consequatur; ne opes civitatis, quæ ex mercimoniis negotisque proveniunt, decrescant; ne exactionibus immodicis cives exhauriantur; neque facultates suas per luxuriam effundant atque consumant: ne viduæ & orphanæ affligantur; ne pauperes præ inopia deficiant; ne lenitas & impunitas delictorum, aliis

alis sit peccandi illecebra, & quæ alia plura ad curam Reipubl. diligentem pertinen-
In quibus etiam, quæ parva videntur prudens Consul non negligit. Eti enim nul-
lius videantur esse ponderis, progressu tamen temporis valde crescere, & immane
quantum nocere possunt, cum omnia tendant in Reipubl. damnum & exitium: quem-
admodum in corpore humano parva illa insuper habenda non sunt, quæ tandem
quotidie adaucta mortem queant inferre. Quibus sollicitè intentus Vir, dum vive-
ret, Magnifica prudentia & autoritate pollens, DN. Johann. Fridericus Falckner, in
Brausvigg & Gøstervitz, Jucus, Comes Palatinus Cæsareus, Regiæ Majestatis Poloniæ,
& Sereniss. Electoris Saxonie Consiliarius, Scabinatus Assessor, Civitatis Consul Re-
gens, Templi & Scholæ Nicolaitanæ Antistes, post excessum ex hac vita beatum laudem
Consulis obtinuit, sapientissime providentis, ne Res Civitatis nobilis detrimentum,
sed ut incrementum caperent. Ad quam in animis & memoria hominum relinquen-
dam, hæc inscriptionem publicam merito suscepimus. Patriam habuit hæc, cui præ-
fuit, civitatem, natus An. M DC XLII, d. XXXI, Aug. vespere, Patre Dn. Abrahamo
Falcknero, Cive sene, Mercatore & Capitanei inter cives Legato; Matre Julia de Scipi-
onum in hac urbe spectata familia; Avo paterno Jacobo Falcknero, Aurifice & Sena-
torè Altenburgi; Avia Anna, M. Matthiæ Röhneri, in Cathedrali Templo Ecclesiaste;
Avo materno, D. Friderico Scipione, Juridicæ Facultatis in hac Academia Assessor,
& Seniore; Avia Christiana, D. Hieronymo Günthero, Sereniss. Electori Saxonie
in Consiliis Appellationum, & Assessor Juridicæ Facultatis Academicæ nata. Cum
a domesticis pariter & Scholæ Nicolaitanæ Præceptoribus pietatis & bonarum litera-
rum initiis imbutus esset, Anno MDC LVI, Scholam provinciam Portensem
adiit; quam verò, dum morbi in ea quidam grassarentur, Anno LIX, reliquit, & in
Gymnasium Coburgense concessit, in quo per biennium multum profecit. Anno
LXI. persona generosa, quæ ex Academia Altorfina in hæc urbem venerat, suadente,
eandem Academiam petiit. Ibi Professoribus tam Philosophiæ; Spindlero, Felvvin-
gero, Treuero, quam Juris D. Kregelio, & D. Geigero diligenter assedit, & uti favore
magno laudatissima persona generosa, ita & informatione in Institutum sui felici no-
stro contigit, Anno LXII, Francofurtum ad Viadrum profectus, in celeberrimi Jcti
Brunnemanni domum & convictum se dedit, ejusque Scholam in Digesta, Novellas, &
Jus Canonicum frequentavit, insuper D. Rhetium Jus Feudale & Canonicum explica-
re audivit, Lectionum etiam publicarum D. Beckeri & Wolfii auditor industrius fu-
it. Anno LXIV. habita disputatione de Interventione Academiam relinquere impu-
lit Avie Scipionie necessitas, quæ lite forensi difficili involuta ope ejus indigebat.
Hinc postquam novem annis a suis abfuisse, Patreque orbis mala plura quam bona
expertus esset, in patriam Festo Michaelis remeavit, causasque in foro Advocatus agere
coepit. Quam ad rem cum animadverteret non leve momentum in publicorum ho-
norum testimonio positum esse, Francofurtum An. LXV. profectus, scripta defen-
sive Disputatione Inaugurali de Interruptione Præscriptionis, Doctoris titulum
atque insignia solus adsumsit. Inde reversus praxin suam continuavit, & Scholam
aliquot Studiosis aperuit. Anno LXVI. matrimonium iniit cum laudati nominis
Virgine, Anna Susanna, Dn. Michaëlis Thomæ, Juris Practici, & post id Senatoris
Amplissimi, filia, cum qua XXXVI. annos suavissime vivens quatuor filios, tresque fi-
lias genuit. Ex illis tamen Joh. Fridericum & Gotlob. Fridericum, ex his Johannam
Christinam tenera sua ætate mortuos extulit, Secundam filiarum Julianam Mariam,
Dn. D. Quirino Hartmanno Schachero, Senatori, Prætori Civitatis, & Curie Provin-
cialis, Consistoriique Advocato ordinario meritisimo An. LXXXVI. Conjugem dedit,
exque ea nepotes quatuor, & unum nepotem amplexus est; sed hic quinquarius cæteris
immaturo fato defunctis ad par suavisimum, Julianam Susannam & Annam Susannam
fuit contractus, Tertiam filiam, Annam Susannam An. LXXXIX. Dn. Joh.
Christian Schiamberg, Philos. & Med. Doctor, P. P. Facultatis suæ Assessor celebratissi-
mus Conjugem dulcissimam accepit, quæ sequente anno post nixum difficillimum puellæ
extinctæ, mœrorem vehementissimum, desideriumque sui maximum omnibus reli-
quit. Ex Filiiis superstitibus prior Dn. D. Fridericus Michael Falckner, Senator urbis, &
Dicalterii

Dicafterii provincialis supremi Advocatus Ordinarius, Dn. Melchioris Stieglitzii, in eodem Dicafterio quondam Procuratoris filiam, Christinam Elisabetham Conjugem habet, parentem quatuor filiorum Johannis Friderici, Gottlob Friderici, Ludovici Friderici, Abrahami Friderici, nati die XXI. Januar. cujus vespera Avi corpus in monumentum suum in Collegio Paulino repositum est, & trium puellarum, Julianæ Susannæ, Johannæ Christianæ, Christianæ Susannæ, quæ postrema ante avum ad meliorem vitam festinavit. Filius Junior Dn. Abraham Fridericus Falckner, J. U. D. & Advocatus uxorem sibi elegit & accepit Virginem Catharinam, Dn. Joh. Jacobo Käfio, Senatore & Regio Polonico & Electorali Saxonico Consiliario, & Postarum Magistrorum superiore ortam filiam, ex qua suscepit fœmellas duas, Johannam Fridericam & Julianam Jacobinam, & unum masculam sobolem Fridericum Jacobum, qui vivere desit. Ad dignitates suas Nobilissimus Vir hoc ordine ascendit. Comitem Palatii sui Imperatoria Majestas creavit An. LXXV. Syndici Senatorii munus non expectanti sibi oblatum eodem anno accepit. Sequenti mox An. LXXVI. Pro-Consulis partes demandatas ornare cepit. An. LXXIX. Johannes Georgius II. gloriosissima recordationis Elector Advocatum Curia provincialis esse iussit. Inter hæc ad Conventus provinciales a Senatu ablegatus, ad communem provincie & civitatis utilitatem semper respexit. Quia sua prudentia fide, & dexteritate meruit, ut in Consiliariorum numerum a Sereniss. Johanne Georgio II. Electore cooptaretur, quam gratiam Sereniss. Successor ejus, & qui nunc regnat Rex & Elector. noster clementissimus, renovavit & continuarunt. Quia ergo de Republica hæctenus tot modis bene meritus, & præterea magnum usum atque experientiam consecutus erat, dignum præcipue Senatus judicavit, cui summam Consulatus dignitatem An. XC VII. committeret: Eandem Assesura in Scabinatu more recepto consecuta est. Eodem tempore cum reliquis a Statibus provincie Warfaviam ablegatis, apud Regem & Electorem, Reipublicæ causam prudentissime egit: Curam Templi & Ludi Nicolaitani An. LXXXII. susceptam cum vita finit. De reliquo DEI erat devotus, frequens & humilis cultor, suorum Parens amantissimus, pauperibus, interque eos Studiosis Benefactor munificus. Ad mortem Cachexia corpus lente disposuit, ex qua morbi alii graves enati, & ab aliquo tempore tumor pedum œdematosus. Sic affectus ire, aliasque actiones obire sæpe non valuit. Exinde vitæ suæ non multum restare tempus colligens, ad discessum se præparavit, eaque de causa, tam quæ ad munera sua, quam ad amplæ rei familiaris administrationem pertinebant, recte disposuit & ordinavit, ut post mortem etiam ejus nec Civitas nec familia detrimentum aliquod caperent. Hæctenus medicamentorum virtus mala repulerat, quibus sedatis cum magna Civitatis utilitate ardua muneris sui negotia tractabat: verum cum die XVII. Januarii nuper ex Curia, in qua promte sua peregerat, lætus animi venisset in ædes suas, modice pranfum corripuit hora III. horror magnus, cujus comites fuerunt subitanea Spirituum suppressio, continua ad somnum propensio, & sensuum plerorumque torpor. Adversus quæ nihil efficientibus medicamentis vel pharaceuticis vel Chirurgicis, inter allocutiones Confessionarii & benedictionem ecclesiasticam, precesque & lacrymas uxoris & liberorum lenissima morte hora fere VII. vespertina, d. XVIII. mensis Jan. decessit, quum LX. annos, IV. menses, II. hebdomadas, II. dies confecisset. Absente Consulatu Romæ jurarunt, se nihil contra Leges fecisse. Nemo Civium a Consule suo hoc require potuit aut debuit, quæ vox populi recte egisse omnia clamavit. Quæ virtutes, quæ merita nos incitant, ut exequias illius, quæ futurae sunt hora I. & in Templo S. Nicolai foelennibus ceremoniis celebrabuntur, frequentissime cohonestari velimus. DEUS familiam ocellissimam consoletur, ac damnum, quod Civitas Claudianus esse optavit, in Carmine eum allocutus.

*Tu civem patremque geras, tu consule cunctis;
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.*

Aut quod votum Christiani populi est, illas & omnes alias virtutes regendi complexum, cui scopus vitæ & regiminis Christus sit, P. P. d. XXVI. Januarii, Anno Christiano clo lccIII.

Literis ZSCHAUANIS.

N^o 885.
40

ULB Halle 3
001 556 347



So.

WAT

2. C.







RECTOR

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
IN EXEQUIIS

DOMINO

JOH. FRIDERICO FALCKNERO

Hæreditario in Braufwig & Göstewiz,

J.C. Comiti Palatino Cæsareo, Potentiss. Regi Po-
loniæ & Sereniss. Electori Saxoniae a Consiliis, Scabina-

tus Assessori, Consuli Civitatem Regenti, Templi ac Ludi Nico-
laitani Præstiti, Viro Magnifica Prudentia & Au-
toritate Inclutissimo,

Hora I. hodie XXVI. Januarij, cl. lcccIII.

cundis,

